



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Vtrum prærerabilia, & absolutè futura, cognoscat Deus
etiam conditionatè futura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

264. DICO 3. Si non darentur in Deo prædefinitiones nostrorum actuum, tunc ratio videndi futura absoluta in seipsis, esset Infinitas Dei, cui deberetur Scientia cognoscens ab æterno omnes veritates. Probat. Nam, ut in sequenti controversia videbimus, ad hanc infinitatem recurrendum omnino est, quando redditur ratio, cur Deus cognoscat futura conditionata nunquam exstitura: ergo si in Deo nullus daretur respectus determinatus ad futura absoluta, sufficeret Infinitas Dei ad ea quoque in seipsis videnda.

CONTROVERSIA IV.

Utrum præter possibilia, & absolute futura, cognoscat Deus etiam conditionate futura.

§. I.

Premittuntur aliqua pro statu Controversiæ intelligendo.

265. Conditionate futura, seu melius, propositiones de futuris sub conditione, expressæ per particulam, *Si*, possunt esse quadruplicis generis. Primum genus earum est, quæ aliquid affirmant sub conditione habente physicam connexionem cum obiecto affirmato, vocanturque *Illative*: quia perinde est, ac si unum ex alio inferres, ut: *Si sol est in hemispherio nostro, dies est: si ignis applicetur stupæ, comburitur, &c.* De his non est præsens controversia.

266. Secundum genus est earum propositionum conditionalium, quas formare possumus de rebus omnino disparatis, quarum una non esset occasio vel causa alterius, etiam si illa existeret: ut; *Si Turca dormiret, ego studerem: si nunc cantaret Gallus, nasceretur Antichristus post centum annos.* Neque istæ spectant ad præsentem questionem. Nam, ut etiam observat Cardinalis Pallavicinus c. 41. à n. 318. Deus non habet peculiarem scientiam hypotheticam sub huiusmodi hypothesis impertinentibus: quia non magis videt meum studium futurum si Turca dormiret, atque videret, si non dormiret, & cætera invariata manerent, quia somnus Turcæ non pertinet ad principium proximum mei studii.

267. Tertium genus est, propositionum conditionalium sub conditione impossibili. Sed neque de istis solliciti erimus: quidquid enim specialis difficultatis habent, ad philosophos spectat.

268. Quartum itaque genus est earum propositionum, quæ aliquid affirmant futurum sub conditione, cum qua quidem non habet necessariam connexionem, illa tamen conditio si existeret, esset contingenter futura occasio alterius;

exempli gratiâ: *Si Petrus loqueretur cum tali Persona, peccaret morosa delectatione: Si verò audiret talem concionatorem, ageret penitentiam.* De his est præsens controversia, an, & quomodo veritates huiusmodi à Deo cognoscantur.

269. Porro veritates huiusmodi conditionales iterum sunt in duplici differentia, nam aliquæ nunquam ponentur, eò quod conditio, sub qua affirmantur, nunquam ponetur: aliquæ contra defacto ponentur, quia conditio purificabitur. Prius tamen est, prioritate Logicâ, aliquid esse sub conditione futurum, quam esse futurum absolute: posset enim futuritio conditionata esse vera, etiam si futuritio absoluta esset falsa ex defectu conditionis. Quapropter veritates istæ conditionales non sunt quidem exclusivæ futuritionis absolutæ, sunt tamen præcisivæ, quia considerantur præcindendo à futuritione absoluta, & ab eo quod conditio sit ponenda.

§. II.

Utrum Deus actus nostros liberos, sub conditione futuros, tantum conjecturaliter cognoscat.

270. Quidam haud ignobiles Thomistæ, quorum placita fideliter refert P. Aldrete d. 27. s. 1. contra querelas Joannis de S. Thoma, negarunt, Deum habere certam scientiam de huiusmodi conditionatis actibus & eventibus, sed solum conjecturalem; non quasi existimarent, Deum habere probabile & errori obnoxium iudicium (absit hoc à viris egregiè doctis) sed quod Deus evidenter, & per scientiam simplicis intelligentiæ judicet, in his circumstantiis probabile esse, quod hic actus sit futurus. Hoc putant colligi posse ex particula *Fortè*, quæ legitur quandoque adjecta, ut Genes. 3. *Ne fortè sumat de ligno vite.* Math. 11. *Fortè mansissent usque in hanc diem.*

271. Verum ab hac sententia posteriores Thomistæ merito recesserunt. Est enim teste Stapletono, hæc interpretatio Calvinii, & nimium quantum abhorrens à divina sapientia, quæ interroganti, quid certò futurum esset si hoc vel illud poneretur, non posset respondere nisi per verbum, *Nescio.*

272. Fundamentum ex particula *Fortè* desumptum, admodum leve est. Nam imprimis hæc particula in Scriptura, loquente nomine Dei, non significat ignorantiam loquentis, sed indicat libertatem & difficultatem in ipso eventu, teste S. Augustino Tract. 27. in Joannem, in illa verba. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Cum dixit, inquit S. P. Forsitan, non dubitat, sed increpat; dubitationis verbum est, cum dicitur ab homine, ideo dubitante, quia nesciente: quando verò dicitur à Deo, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas. Eodem modo S. Hieronymus in cap. 27. Hieremias dixit: *ambiguum Forsitan*

Forſitan Maieſtati Dei non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum hominis ſervet arbitrium. Accedit, quod in græco textu pro forte, ponitur *an*, quod ſumi poteſt, & teſte Martinonio ſtendit Salmeron, Proleg. 16. & confirmari poteſt ex eo, quod cum Chriſtus Jo. 8. dixiſſet: Si me ſciatis, forſitan & Patrem meum ſciatis: deinde Jo. 14. dixerit abſolute: Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.

273. Dicendum proinde eſt, omnes eventus liberos ſub conditione futuros, certò cognosci à Deo. Probat 1. ex Scriptura, in qua Deus inſallibiliter prædixit huiusmodi eventus conditionatos, quorum tamen aliqui poſtmodum ex deſectu conditionis poſiti non fuerunt, aliqui verò poſiti quidem fuerunt, ſed poſiti non fuiſſent, ſi conditio purificata non fuiſſet.

274. Primus locus eſt 1. Regum 23. ubi David fugiens à facie Saul in civitatem Ceilam, quam liberaverat à Philistiis, cum ex fama didiciſſet, quod Saul ſtatuerit deſcendere cum exercitu, & oppugnare ac evertere Ceilam, niſi David ſibi traderetur, conſuluit Deum, an vera eſſet fama, quod Saul eſſet deſcenſurus, & an, ſi deſcenderet, Ceilani eſſent eum tradituri Sauli, & ad utrumque reſpondit Deus affirmativè: *Descendet. Tradent.* quo audito David fugit in deſertum, & hoc intellecto Saul non deſcendit, nec Ceilani tradiderunt. Vnde dicendum eſt, Deum locutum eſſe conditionatè, nimirum: *Saul deſcendet, niſi priùs intellexerit te fugiſſe.* item Ceilani tradent, ſi Saul deſcenderit, nec tu priùs fugias. ut explicat S. Hieronymus his verbis. *Ach diceret Deus: Si hic ſteeris, deſcendet: ſi deſcenderit Saul, & hic te invenierit, tradent.* Hæc porro verba intelligenda eſſe ſimpliciter affirmativè prolata, & non de mera probabilitate futuri eventus, dubitari prudenter non poteſt; quis enim ferret aſſerentè, quod ſenſus illorum verborum genuinus ita exprimendus fuiſſet: *Forſitan deſcendet: forſitan tradent.* ſanè hæc interpretandi licentia præberet anſam enervandi innumeras prædictiones, contra ſenſum fidelium.

275. Secundus locus eſt, Matthæi. 11. & Lucæ 10. Vbi Chriſtus ſic loquitur. *Vae tibi Corozaim, & tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in Cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quæ ſanè verba nulla ratione accipi poſſunt de maiore inclinatione Tyriorum & Sidoniorum ad pœnitentiam præ Corozaitis: ſic enim inepta redderetur exprobatio Chriſti, quæ ut juſta eſſet, debebat ſupponere æqualem diſpoſitionem in actu primo, aut certè non valde inæqualem.

276. Tertius locus eſt Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus:* ubi ſupponitur in Deo ſcientia futura perverſitatis, ſi talis homo vitam protraxiſſet: quæ ſub conditione præviſa Deus abbreviavit vitam, quod eſt maximum beneficium, nec omnibus præſtatur, teſte S. Augu-

ſtino lib. de Corrept. & Gratia c. 8. ſub ſinem. Reſpondeant, inquit, ſi poſſunt, cur illos Deus, cum fideliter & pie viverent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne ſcilio deciperet animos eorum? *utrum hoc in poteſtate non habuit? an eorum mala futura neſcivit? nempe nihil horum niſi perverſiſſimè & inſaniſſimè dicitur.* Et alibi. de dono Perſever. c. 9. *Certè poterat Deus præſciens eſſe lapſuros antequam id fieret, auferre de vitæ.*

277. Scio, S. Auguſtinum alibi de Prædeſt. SS. c. 14. aliter explicari illa verba Sap. 4. dum ait: *Dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum Præſcientiam DEI, quia hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.*

Ad quem locum variæ reſponſiones excogitatae ſunt, & quidem communior eſt, S. Auguſtinum accepiſſe Præſcientiam in ſenſu ſtrictiore, pro illa, quæ ſuum objectum ita tempore præcedit, ut exiſtentia objecti verè ſequatur; in quo ſenſu ſæpiùs acceperunt Patres Præſcientiam, præſertim quando contra Semipelagianos diſputarunt. Sic etiam S. Damascenus lib. contra Manichæos non procul à fine ait: Aliud in Deo eſt *Cognitio*, aliud *Prænotio*. *Cognitio eſt eorum quæ ſunt, Prænotio autem eorum quæ futura ſunt, antequam prodeant.* Hugo de S. Victore, lib. 1. de Sacram. fidei c. 16. diſtinguit Scientiam à Præſcientia his verbis: *Si non eſſent res futurae in Deo quamvis eſſet Scientia, non tamen Præſcientia, ſed ipſa quæ Præſcientia eſt, fuiſſet Scientia, ſi futurum aliquid non fuiſſet.* Idem habet Magiſter ſent. in 1. diſt. 25. §. ad hoc.

278. Verùm hæc reſponſio non aufert diſcultatem. Tum quia adverſarii S. Auguſtini Semipelagiani, non acceperunt Præſcientiam in hoc ſenſu, ſed de futuris ſub conditione operibus: Tum quia nemo poſſet tam inſanus eſſe, ut locum illum de Præſcientia abſolute intelligeret; quomodo enim raptus eſſet ne peccaret, ſi abſolute peccaturus præviſus eſſet?

279. Melius reſpondet P. Aldrete diſt. 27. s. 6. a. n. 19. S. Auguſtinum voluiſſe præoccupare replicam, quæ fieri potuiſſet à Semipelagianis. Dicebant ipſi, quando infantes aliqui ſalvantur, aliis ſine baptiſmo decedentibus, Deum præmiare priorum merita non quidem abſolute, ſed conditionatè tamen futura, ſi ad adultam ætatem pervenirent. Contra hunc errorem arguebat S. Auguſtinus, quod hac ratione Deus illos non raperet, ne malitia mutaret intellectum, deberet enim potiùs illos punire, & permittere mori in peccato Originali, in pœnam delictorum ſub conditione committendorum, ſi ſuperviverent. Quia verò S. Auguſtinus advertit, replicari poſſe, quod non omnes infantes qui poſt baptiſmum in infantia decedunt, eiſmodi ſint, qui peccaturi, & in peccatis perituri fuiſſent, ſi ſupervixiſſent, adeoque non omnes poſſint dici ideo rapti eſſe, ne malitia mutaret intellectum, cum de his non poſſit verificari præſcientia conditionata peccatorum, ideo de his dixit in alio ſenſu verificari illa Sapientia verba,

verba, nimirum propter pericula innumera, quibus obnoxii futuri erant, & in illis vel perituri, vel speciali providentiâ gubernandi essent, Deus autem cum noluerit illos speciali providentiâ gubernare, voluit illos hoc beneficio speciali afficere, ut ante adultam ætatem raperet; id quod accommodato declarat exemplo: (placet adscribere, cum Auctor in paucorum manibus sit) Imminet Joanni periculum mortis, parat enim illi adversarius infidias; sed tunc temporis advertit alter, Joanni familiarissimus, posse Joannem duobus modis periculum evadere, quod illi ignoranti jam immineret; nempe, si admoneatur Joannes de suo periculo, ut illud evitet, vel, si minimè detecto periculo, ipsi persuadeatur in locum remotum secedere, causâ honoris aut lucri.

280. Quod si ille familiaritate devinctus, ob speciales causas, nollet Joannem de periculo certiorum facere (tamen si haberet animum monendi de periculo, si in loco illo mansurus esset) sed potius curaret, ut transmigratione factâ declinaret Joannes periculum jam imminens, non rectè possemus dicere, Joannem ideo migrasse aliò, quia si maneret in loco, incurreret necem: etenim, quamvis maneret in loco, periculum necis aliter evaderet, monente scilicet amico de periculo, ut sibi caveret: jure tamen dicere possemus, amici suasionem aliò discessisse, quia periculum mortis illi imminebat, à quo eripiendus erat uno è duobus modis, quorum unus fuit ab amico electus, prætermisso altero; & ideo Joannes accepit ab amico ingens beneficium, propter pericula quibus est ereptus: erat enim moraliter certum, Joannem incursum mortem, si neque certior fieret de periculo, neque aliò migraret. Sic etiam in nostro casu, erat moraliter certum, illos parvulos peccaturos, si diu viverent, & non liberarentur à tot periculis & tentationibus, quæ posset occurrere. Non tamen erat certum, omnes peccaturos si ad adultam ætatem pervenirent, quia plures singulari Dei protectione liberandi erant à periculis: & ideo universaliter loquendo de cunctis illis parvulis non potuit dici secundum Dei præscientiam peccaturos esse, si diu in vivis mansissent, aut raptos fuisse secundum talem præscientiam, sed secundum pericula, à quibus eo modo voluit Deus eripere parvulos illos, ut sic declinarent peccata, quæ aliter etiam vitanda fuissent, si Deus statuisset donare parvulis illis diuturnam vitam.

281. Objici etiam posset ex S. Thoma Opusc. 48. tract. de enuntiatis. c. ult. prope finem. Propositionis conditionalis in tantum est vera, in quantum est necessaria: sed propositiones, de quibus modo disputamus, non possunt esse necessariae simpliciter (sunt enim simpliciter contingentes) sed ad summum habent necessitatem moralem: ergo non sunt veræ nisi secundum necessitatem moralem: atqui non cognoscuntur à Deo nisi in quantum sunt veræ: ergo Deus non cognoscit illas nisi ut habent moralem necessitatem & certitudi-

nem, adeoque non infallibiliter enuntiat Deus: si Petrus poneretur in his circumstantiis, peccaret: sed aliquo modo conjecturaliter. *Esset moraliter necessitatus ad peccandum.* R. S. Thomam locutum esse de conditionalibus illativis, in quibus particula si, æquivaler particulae, Ergo, & prout ab hominibus possunt cognosci, & assumi ad formanda argumenta. Cæterum, conditionales in materia libera habere veritatem contingentem, agnovit egregius Thomista ac Dialecticus Sotus lib. 3. summul. c. 8. scit. 13. notab. 2. & post eum alii, frustra contranite Alvarez lib. 1. respons. c. 1. n. 28. quem redarguit Aldrete.

§. III.

Utrum veritates conditionales videantur à DEO in Decreto conditionato prædeterminandi voluntatem creatam.

282. Moderni Thomistæ plerique asserunt, Deum videre conditionata contingentia certò & infallibiliter, sed non nisi in suo Decreto, quo ab æterno decrevit, quid sub quavis conditione esset ipse prædeterminaturus, v. g. quòd esset Ceilanos prædeterminaturus ad tradendum Davidem Sauli, si Saul ascenderet, & David non fugeret. Hoc Decretum dicunt esse absolutum ex parte subjecti (quia scilicet defacto existit) sed conditionatum ex parte objecti.

283. Dicendum est, non dari huiusmodi Decretum in Deo. Omisâ celebri illâ ac ubique decantatâ probatione, (& ideo non repetendâ) desumptâ ex eo, quòd huiusmodi Decretum conciliari non possit cum libertate humana, utpote inferens necessitatem antecedentem, & quòd hac ratione Deus esset causa per se peccati, sufficiens probatur conclusio hoc argumento. Si est admittenda Scientia futurorum contingentium conditionatorum antecedenter ad omne Dei Decretum efficax circa res producendas, non datur in Deo Decretum prædeterminandi: sed verum est antecedens. Ergo. Minor probabitur in decursu. Majorem concedunt adversarii; & solum illud suum Decretum asserunt, quia existimant, scientiam mediam, quam nos defendemus, admitti non posse.

284. Duo solum hîc notare lubet. Primum. Si daretur huiusmodi decretum prædeterminandi v. g. Tyrios & Sidonios ad poenitentiam conditionatè, si talia signa viderent, quæ facta sunt apud Corozaitas, redderetur ridicula reprehensio & exprobratio facta Corozaitis à Christo Domino, quòd non agant poenitentiam, qualem egissent Tyrii & Sidonii, si apud illos fuissent eadem miracula patrata. Respondere quippe potuissent optimo jure. Quid nobis exprobras Tyrios & Sidonios? quid mirum, si illi poenitentiam egissent, visis tuis miraculis: cum ab æterno decreveris illos tunc physicè prædeterminare ad agendam poenitentiam, decreto inimpedibili? si nos pares illis prædeterminando fecisses, utique poenitentiam ageremus. Non erat in nostra potestate

testate facere, ut nos prædeterminares, &c. Secundum observari dignum est, Calvinum libro 3. *Instit.* c. 23. asseruisse, quod Deus decreverit ruinam Adam, & in illo decreto præviderit lapsum futurum Adam. Contra hanc doctrinam scripsit Franciscus Penna Episcopus, *opusculo contra dogma Calvini* pag. 62. & 63. anno 1551. priusquam orta esset præiens controversia inter Bannez & Molinam. Labet illius verba adscribere, ut constet, quis sensus tunc temporis fuerit eorum qui contra hæreticos scripserunt. Negamus, inquit, ideo duntaxat Deum omnia prævidere, quod ita ut fieret decrevit, ut temere asserit Calvinus: alioquin totalis quædam in rebus omnibus invehereetur necessitas. Et pagina sequente. Inde autem, inquit, potissimum hic manifeste error videtur, quod falsum axioma sibi constituit Calvinus, ut omnia fieri necessario, continenter nihil fieri confirmaret, Deum scilicet non aliâ ratione, quæ futura sunt, prævidisse, nisi quia, ut ita fierent, decrevit.

§. IV.

An Veritates conditionales contingentes videantur à DEO in aliquo libero exercitio absolute existituro.

287. Moderni quidam, admittentes cæteroquin scientiam mediam, prout eam paulo post explicabimus, nihilominus arbitrati sunt, excogitari posse modum, quo & Scripturæ testimonijs satisficeret, & libertati humanæ consultum esset, independenter ab huiusmodi scientia media. Ut hoc persuaderent, dixerunt, DEVM omnes eventus conditionatos, de quibus in præsentia disputamus, potuisse prævidere, & defacto prævidisse in aliquo exercitio libero, quod defacto existit, vel existit: huiusmodi enim exercitium liberum existimant, habere ex intrinseca ratione, modoque tendendi, connexionem metaphysicè necessariam cum libero consensu conditionatè futuro in alio tempore, si homo sic vel sic præveniretur, & in talibus vel talibus circumstantijs poneretur.

286. Hæc tamen cogitatio mihi nunquam placuit. Nam etsi demus, id quod multis contendit evincere P. Esparza, q. 17. a. 13. nostros actus liberos absolute existentes, & amplectentes aliquod motivum cum tanta determinatè intentione ac adhæsiōe, habere infallibilem connexionem cum futuritione conditionata aliorum actuum liberorum, circa motuum vel oppositum vel affine illi priori motivo, si in eodem tempore occurrisset cum talibus determinatè circumstantijs: hæc inquam etiamsi permittamus esse vera, non possunt tamen extendi ad actus conditionatos in alio tempore futuros, prout etiam observat Card. Pallavicinus *disp.* 4. de actibus humanis q. 2. a. 15. n. 4. §. secundo suppono. Ratio est manifesta; Nam hominis voluntas est mutabilis, & quod in hoc instanti vult, posset in alio nolle, quantumvis

omnia cætera paria essent, solo tempore variato: sicut enim in priori tempore fuit liber ad nolum, ita est liber in posteriore tempore: quod verò prius voluerit, solum infert aliquam maiorem inclinationem & habitum, & magnam probabilitatem, quod iterum esset voliturus si iterum occurreret objectum; nullo tamen modo infert Metaphysicam infallibilitatem, ne quidem circa idem objectum formale & materiale, eodem modo propositum, ne dum circa objecta valde diversa, ad quæ tamen isti moderni suam doctrinam extendunt.

§. V.

Probatur Scientia Media seu conditionata ex Patribus.

287. Dicendum nunc est, DEVM futura conditionata libera cognoscere certè & infallibiliter per scientiam mediam, hoc est, quæ est independentes ab omni decreto absoluto producendi ipsam conditionem, vel ipsum objectum sub conditione prævisum, estque directiva decretorum divinatorum. Probatur Conclusio imprimis ex Patribus, quorum testimonia quædam ex plurimis selegimus, omnia enim exhibere velle, infiniti laboris esset, teste P. Fonseca tomo 3. *metaph.* lib. 6. c. 2. q. 4. s. 9. dicente, infinita penè loca esse, in quibus conditionatam præscientiam de liberis actibus futuris non solum Augustinus, sed etiam alij Patres asserunt; usque adeo res in tota antiquitate perspicua erat. Nec solum Præscientia planè astruitur à Patribus, sed etiam præcedere omne divinæ voluntatis decretum perspicuè traditur. Hæc ille.

288. S. Basilii in Constitut. Monasticis c. 2. sub finem asserit; DEVM ideo non dare celeriter munus quod petimus, quia præcivit nos illud amissuros, si celeriter impetrassemus. Non possunt hæc verba, per quamcunque violentiam, intelligi de Præscientia in decreto, quo recurrunt Thomistæ: ridiculum enim esset dicere: DEVM ideo non dare aliquid, quia prædeterminando decrevit, ut si daret, citò amitteretur: Præscientia itaque præcedit & dirigit decretum non dandi citò, dum proponit causam differendi, videlicet, celerem amissionem.

289. S. Chrysostomus Hom. 41. in Matthæum dicit, Christum vocando Petrum & cæteros Apostolos, attendisse ad circumstantias, in quibus præciverat eos obtemperaturos: inquit, rens enim, cur non vocaverit Matthæum cum Petro & Joanne, causam reddit: Certè quemadmodum tunc ad illos accessit vocavitque, quando operaturos sciebat, sic Matthæum quoque tunc vocavit, quando miraculorum famâ perdomitum minime reluctaturum videbat. Quæ de causâ etiam Paulum post resurrectionem piscatus est; nam qui occulta scrutatur, & occulta mentium perspicit. NB. (non dicit; qui sua Decreta prædeterminantia perspicit) is etiam, quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit:

ignoravit: propterea, non continuo incipiens &c. Et hom. 65. reddidit rationem, cur Paterfamilias non omnes operarios simul vocaverit, sed diversis temporibus, & dicit, hoc ex voluntate vocatorum provenisse: à voluntate inquit, vocatorum hac differentia resultavit (non dicit: ex voluntate Prædeterminantis) idcirco alii manè, alii tertîa, alii nona, alii undecimâ horâ vocantur, quia tunc obtemperaturi erant.

290. S. Augustinus lib. 2. de Gen. c. 28. Manichæis interrogantibus: *Quare fecit Deus hominem & luciferum, quem peccatum sciebat? respondet his verbis. Quia de peccante multa bona facere poterat. Immo quare non faceret, cum per suam Iustitiam & Providentiam multos de malitia diaboli corrigeret?* Interrogatio Manichæorum supposebat, peccatum hominis sub conditione futurum, potuisse Deo esse motivum absterrens à creatione hominis, & hoc S. Augustinus non negat, sed insuper assignat motivum alliciens & præponderans. Atqui si peccatum hominis sub conditione futurum acciperet hanc denominationem à Decreto conditionato prædeterminandi, profectò nullo modo posset esse motivum absterrens à productione hominis, Deus enim non ponit sibi obstacula aliquid faciendi, per Decreta conditionata, sed potius, si hæc darentur, pararent viam ad Decretum ulterius: ergo supponit S. Augustinus, DEVM vidisse lapsum Adami sub conditione futurum independentem ab huiusmodi Decreto.

Similiter lib. 2. de Nuptiis & Concupiscent. c. 16. ait: *Nec diabolus propterea creare noluit (ecce! motivum absterrens) quia malum futurum esse præscivit.* & lib. 11. de Gen. ad litt. c. 6. *Frustra dicitur: non crearet DEVS quos præsciebat malos futuros: cur enim non crearet, quos præsciebat bonis profuturos? & paulò post, enumeratis bonis emergentibus addit: cur ergo non crearet DEVS, etiam quos malos futuros esse præsciebat? & c. 9. Præsciebat, quid eorum factura esset voluntas mala, & quia falli non potest ejus præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala: cur ergo eos creavit, quos tales futuros esse præsciebat? quia sicut prævidit, quid mali essent futuri, sic etiam prævidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse factururus.*

291. Simili modo respondit S. Hieronymus Marcioni, contra Providentiam Dei sic arguenti. *Aut scivit DEVS hominem in paradiso positum prævaricaturum esse mandatum illius, aut nescivit. Si scivit, non est in culpa is, qui præscientiam DEI vitare non potuit, sed ille qui talem condidit, ut DEI non posset Scientiam vitare: si nescivit, cui præscientiam tollis, auferis divinitatem.* Respondet Hieronymus l. 3. collat. 5. adversus Pelag. *DEVS non condemnat ex præscientia, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat, sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementia, ut eligat eum quem interim bonum cernit, & scit malum futurum.* Alludit ad electionem Saulis & Judæ.

292. Easdem hæreticorum interrogationes, simillimis planè responsionibus expederunt alij Patres, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Clemens Romanus, Theodoretus, Chrysostomus, Damascenus, Anselmus, Ambrosius, Gregorius, Hugo, *Quorum verba refert Ruiz disp. 65. s. 1. & 3.* Quorum omnium verba esse intelligenda de Scientia Dei dirigente ejusdem decreta sic vel sic aliquid faciendi, v.g. hoc tempore creandi, vocandi, quo erat aptum illis qui sequuntur vocationem, ut loquitur S. August. lib. 1. ad Simplic: est prorsus innegabile, sed ab adversariis inexplicabile: cum non possint recurrere ad decretum quoddam conditionatum, non enim admittunt Decretum conditionatum pro illis obiectis, quæ defacto DEVS absolute decrevit, & meritò non admittunt, quia per se satis absolum est cogitare, quòd DEVS in priore signo aliquid decernat conditionatè, quod in posteriore signo decerneret absolute.

293. Quæ adversarii solent ex S. Augustino contra Scientiam mediam interpretari, facilem habent explicationem ex iis, quæ infra de Decreto Prædestinationis dicemus. Breviter. Dicit quidem S. Augustinus semel iterumque, potuisse DEVM habere alias rationes arcani consilii sui, quo hos præ illis elegit, & efficaciter vocavit ad fidem, præter præscientiam quòd essent consensuri; sed per hoc non negat, immò diserte supponit Scientiam mediam: Quando verò S. Augustinus dicit, Præscientiam inniti Proposito & decreto Prædestinationis, aperte loquitur de futuris absolutis & non de conditionatis, ut tandem ex adversariis aliqui fatentur: quæ omnia enucleatius proponit & in adversarios retorquet P. Aldrete, *disp. 29. s. 4. 6. 7. 8. 9. 10.* quem velim ab iisdem attentius legi, & in referendis aliorum placitis sinceritatem imitari, omnis acerbitatibus, quæ causam non juvant.

§. VI.

Deducitur Scientia media ex doctrinâ S. Thomæ.

294. IN primis S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. ad 1. hæc habet: *Usum Gratia præscitus, non est ratio colationis Gratia, nisi secundum rationem causæ finalis.* Sensus est clarus. ex eo quòd DEVS prævideat, Petrum bene usurum esse Gratiâ A. si eam haberet, non moveretur hoc ipso, nec potest moveri ad illam dandam, nisi tanquam à causâ finali; hoc est, virtute illius præscientiæ potest DEVS intendere usum gratia, Decreto quo dicat: quia video Petrum bene usurum esse hoc auxilio, si illud habuerit, dabo illi hoc auxilium, ut illius usum obtineam. Eandem doctrinam expressit S. D. q. 6. de Veritate a. 2. *Propositum, inquit, cordis Jacob præscitum à Deo, non fuit causa, quare ei gratiam dare voluit,*

voluit, sed fuit quoddam bonum ad quod Deus gratiam dandam ordinavit. Sic ergo licet argumentari. Præscientia de fine obtinendo, seu propositio ipsius finis, est scientia dirigens ipsam intentionem finis, ut apud omnes in confesso est: hæc scientia non potest esse scientia absoluta visionis, hæc enim non est directiva Decreti absoluti, seu intentionis finis, sed potius nostro concipiendi modo subsequitur: sed neque est scientia simplicis intelligentiæ: hæc enim non affirmat aliquam contingentem futuritionem, qualis est usus liber gratiæ: ergo est Scientia media: neque enim, in schola etiam Thomistarum, licet hic recurrere ad Decretum conditionatum prædeterminandi talem usum gratiæ: tum quia, ut iam monui, Doctores illi, (excepto Joanne de S. Thoma) non admittunt huiusmodi Decretum conditionatum, nisi respectu effectuum nunquam absolute decernendorum; tum quia etiam illo admisso, fatentur, illud non esse ponendum pro priori signo, sed concomitanter, & in eodem signo cum Decreto absoluto.

295. Secundò. 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. ait Angelicus Doctor: Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum. Et in lect. 6. in Epist. ad Rom: 8. sic loquitur. Quos præcivit, & prædestinavit, non quia prædestinavit omnes quos præcivit, sed quia prædestinare non poterat, nisi præcivisset. & iterum 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. ait: DEVS his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subveniri, alijs autem non subveniri, de quibus in sua Prædestinatione, occultè quidem, sed aliud iuste iudicavit. Ex quibus verbis argumentor ad hominem contra adversarios, qui proprijs verbis (teste P. Aldrete) fatentur, omnes illos stare pro scientia media, qui dicunt, DEVM non prædestinasse aliquem, nisi quem præcivit crediturum, & secuturam vocationem suam. Subsumo, atqui in verbis allegatis Angelicus Doctor prærequirit ad decretum prædestinationis huiusmodi præscientiam, quo nihil potest esse evidentius. Ergo S. Thomas stat pro Scientia media.

296. Tertiò. S. Thomas 1. p. q. 19. a. 8. in C. post medium, ait. Cum igitur Voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quæ DEVS vult fieri, sed, quod eo modo fiant, quo DEVS ea fieri vult. Vult autem quædam fieri DEVS necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum univervi; & ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes proveniunt. His verbis S. Thomas planè rejicit Prædeterminans Decretum, prædeterminatio enim non est causa defectibilis, sed necessariò ponens effectum: deinde supponit Scientiam conditionatam: nam quæ ratione posset DEVS aptare causam contingentem Decreto efficacissimo, si non prævideret, quid contingentem esset futurum, si poneretur talis causa? si enim hoc non prævideret, fieri posset,

ut applicaret causam non habituram effectum, propter intrinsicam illius indifferentiam & defectibilitatem: quam idem S. D. iterum clarissimè agnoscit q. 14. a. 13. in C.

297. Quartum argumentum. Si D. Thomas iudicavit, DEVM, in vocandis hominibus vocatione congruâ, attendere ad quasdam circumstantias tali vocationi & vocato opportunas, & hæc non potest explicari per Decretum conditionatum prædeterminandi ad consensum, hoc ipso S. Thomas agnovit in Deo Scientiam mediam. Verum est antecedens: ergo & consequens. Sequelam concedunt adversarii. Minor probatur quoad primum membrum, recitando verba S. Thomæ, quæ habet 3. contra Gentes cap. 140. n. 5. & q. 24. de veritate ar. 14. in C. Priore loco sic loquitur. Novit autem rerum dispositor Deus, mensuram virtutis humanæ: unde interdum homini virtuoso corporalia & exteriora bona ministrat in adiutorium virtutis, & in hoc ei beneficium præstat; interdum verò ei prædicta subtrahit, eo quod considerat homini illi esse ad impedimentum virtutis. Posteriore loco sic habet. Omnes motus à divina Providentia moderantur, secundum quod ipse iudicat aliquem esse excitandum ad bonum his vel illis actibus. Probatur etiam minor quoad secundum membrum. Quia Decretum prædeterminans non indiget certis circumstantiis ut consequatur effectum, neque aliæ alijs sunt opportuniore, sed in quibuscunque æquè infallibiliter consequetur consensum: ergo præscientia, de qua loquitur S. Thomas, non potest explicari per Decretum conditionatum prædeterminandi.

§. VII.

Scientia Media probatur Ratione.

298. Ratio fundamentalis, quæ nos cogit ad admittendam in Deo Scientiam futurorum contingentium conditionatorum, præcedentem divinum Decretum absolutum creandi Angelos & homines libertate usuros, hæc est. Non potest nisi impie aut imperitè negari Deo perfectissima Providentia circa omnia quæ unquam eventura sunt, & quæ eventura essent si hæc vel illa circumstantiæ darentur: sed hæc haberi non potest sine Scientia Media, quam in præsentem defendimus, ergo. Minor probatur. Ad providentiam summè optabilem spectat, nihil unquam evenire posse penitus fortuitum aut involuntarium, seu casuale, ita ut post talem eventum dicere posset, si scivissem hoc eventurum, hoc non fecissem. Vnde consequens est, non solum ea quæ DEVS immediatè ex suo libero arbitrio producit, debere à Deo cognosci, cuius naturæ sint (quod pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ) sed etiam, quid acturum esset liberum arbitrium creatum, si produceretur in his vel illis circumstantiis, & haberet libertatem se ad hoc vel oppositum determinandi. Si enim huiusmodi eventus non prævideretur à Deo, utique posset evenire combina-

tio entium, cuius negatio Deo gratior esset, ita quidem, ut si talem eventum praevidisset, habuisset causam impellentem, ad eum penitus impediendum, ut supra saepius ostensum est. Sicut enim ad Omnipotentiam spectat, posse producere quidvis non repugnans, ita ad infinitam Providentiam spectat, praevidere omnia, quae in se habent vim sufficientem alliciendi vel absterrendi. Subsumo, atqui hi eventus non videntur nisi per Scientiam Mediam, ut haecenus probatum est, Ergo datur Scientia Media.

299. Dicit aliquis. Potest alia via ostendi, quâ ratione nihil evenire possit, quin Deus obtineat suum intentum, absque Scientia Media, per solam Scientiam simplicis intelligentiae. Per hanc enim scit Deus, quod homo praeventus auxilio A. consentiet vel dissentiet. hoc enim est disjunctum necessarium: ulterius scit, se ex dissensu tantundem boni elicere posse, quantum esset, si homo poneret consensum, immo scit se hoc facturum esse casu quo poneretur dissensus; quia juxta doctrinam S. Augustini, impossibile est Deum permittere peccatum, quin eliciat inde tantundem boni, quantum malum est peccatum. Jam sic, vel ponet homo consensum, vel ponet dissensum. Si ponet consensum, Deus habet intentum: si ponet dissensum, sequetur tantundem boni, quantum esset consensus. ergo Deus iterum habebit intentum: quicquid ergo ponetur, Deus habebit intentum.

300. Sed contra est. Quia licet Deus posset ex peccato, adjuncto alio bono, compensare bonitatem consensûs, posset tamen malle carentiam tam dissensûs quam consensûs, praeter illo complexo ex dissensu & bono adjuncto. Sic, etiam si mihi Deus revelaret, me casu quo labar in peccatum carnis, resurrecturum inde cum fanore, adhuc possem, immo tenerer malle non labi, & carere illo fanore, quam labi cum fanore. Ergo ad Providentiam perfectissimam spectat, posse antecedenter res ita disponere, ut non adigatur ad procurandum illud complexum ex dissensu & bono aliquo superaddito.

§. VIII.

Solvuntur Objectiones.

301. Obijciunt 1. Divisio Scientiae divinae in Scientiam simplicis intelligentiae & visionis, semper ab antiquis habita fuit adaequata: ergo non est excogitanda Scientia Media, quae sit tertium membrum divisionis. 2. Priora duo membra possunt latius vel strictius sumi. Si latius sumantur, Scientia Media ad alterutrum illorum pertinet, & hoc modo antiqui sumpserunt. Si vero strictius sumantur, admittunt tertium membrum. Explico. Per Scientiam visionis, latius loquendo, venire potest omnis Scientia contingens, hoc est, quae posset non esse, sed esse Scientia de opposito; & hoc sensu ad Scientiam visionis pertinet Scientia conditionatorum contin-

gentium; quia haec Scientia v. g. de consensu sub conditione futuro, potuisset non esse, sed excludi per Scientiam de dissensu, si homo potius dissentiret quam consentiret. Rursus per Scientiam visionis, strictius sumptam, intelligi potest Scientia rerum absolute aliquando existurarum: contra per Scientiam simplicis intelligentiae, latius sumptam, intelligi potest omnis Scientia quae non pendeat à Decreto libero & absoluto Dei, hoc est, quae à Deo non est impediibilis quominus existat; & hoc sensu Scientia futurorum conditionatorum pertinet ad Scientiam simplicis intelligentiae. Verum si & haec Scientia simplicis intelligentiae strictius sumatur, pro illa, quae solum affirmat Essentias rerum, & secundum statum possibilitatis, tunc Scientia conditionatorum erit tertium membrum divisionis, & recte vocabitur Media inter illas duas. Participat enim aliquid de utraque, & ab unaquaque deficit in eo, in quo de altera participat. Participat, inquam, de Scientia simplicis intelligentiae, quod non sit impediibilis à Deo per Decretum nolendi rem aliquam producere: nam etiam si Deus nihil producere statuisset, adhuc Scientiam Mediam haberet; in hoc ergo deficit à Scientia visionis. Contra participat de Scientia visionis, quod sit impediibilis, non quidem ab ipso Deo, sed ab arbitrio creato, ut jam supra declaratum est, adeoque jam est aliquo sensu contingens, sicut Scientia visionis, & non necessaria sicut Scientia simplicis intelligentiae.

302. Obijciunt 2. Effectus sub conditione futurus, non est effectus merè possibilis (in quo cum adversariis convenimus, & est res per se clara: possibile enim erat Judam converti, & tamen non est visus à Deo sub conditione auxilii defacto collati convertendus) ergo effectus sub conditione futurus, jam est aliquo modo extractus ex statu possibilitatis: atqui nullus effectus potest extrahi ex statu possibilitatis, nisi volente & concurrente Deo: ergo effectus conditionate futurus non potest acquirere suum statum, in quantum excedit statum possibilitatis, nisi volente & concurrente Deo: ergo non potest cognosci, nisi praesupposito Decreto divino. 2. Negando primam consequentiam. Status enim conditionatus non dicit effectum absolute extractum ex statu merè possibilitatis, sed solum conditionate extrahendum, nempe si poneretur conditio, tunc extraheretur, & quidem volente & concurrente Deo. Effectus ergo conditionate futurus non habet defacto aliquod esse physicum, sed haberet, si conditio poneretur, declarabuntur haec magis in sequentibus.

303. Obijciunt 3. Illa Scientia non est ponenda in Deo, quae aliquid in obiecto fingit esse, quod non est. sed hoc faceret Scientia Media. Ergo, minor probatur. Scientia Media est Hypothesica: atqui omnis Hypothesis Existentialis, quae à parte rei non datur, immo forte nunquam dabitur, est fictio Existentialis in re in qua non datur: quippe particula, Si, v. g. si daretur Perro

hoc

hoc auxilium: idem significat, ac si diceret: posito: seu: ponamus dari Petro hoc auxilium: quæ sanè est quidam imaginaria fictio. R. Sicut Deus cognoscit Essentias rerum sine fictione, licet nos illam cognitionem exprimamus per particulam Si v. g. si existit homo, est animal rationale. ita nec fingere dicendus est in casu nostro. Quapropter tò supponere, non est; affirmare id quod supponimus, sed est; apprehendere; & sub tali apprehensione affirmare aliud prædicatum: itaque propositio hypothetica differt à non hypothetica seu absoluta præcise secundum modum affirmandi, quatenus nimirum hypothetica non affirmat Existentiam subiecti, & affirmat aliquod prædicatum quod conveniret subiecto, quocunque tempore existeret: Propositio verò absoluta affirmat etiam Existentiam subiecti: ad hunc diversum modum affirmandi significandum utimur hypothesebus vocalibus; si existat hoc.

304. Obijciunt 4. Objectum Scientiæ Mediæ non videtur posse explicari sine vitiosa reflexione & processu in infinitum; declaratur in auxilio efficaci. Objectum Scientiæ Mediæ est hoc: Si Petro darem auxilium A. consentiret: ergo Scientia Media tendit in auxilium non quomodocunque, sed ut à se dandum: ergo tendit in auxilium ut dandum ex illo Decreto, ex quo revera daretur, si daretur. atqui daretur ex Decreto Benevolentia, si daretur: omne enim auxilium Efficax datur ex Decreto Benevolentia: ergo Scientia Media tendit in auxilium ut dandum ex Decreto Benevolentia: atqui Decretum Benevolentia præsupponit essentialiter Scientiam Mediam de consensu: ergo Scientia Media tendit in Decretum Benevolentia ut dependens à Scientia Media; & sic habemus reflexionem vitiosam, & processum reflexivum in infinitum.

305. Hoc ipsum Argumentum aliter sic proponi potest. Omne auxilium quod datur, necessariò datur ex Decreto præsupponente Scientiam Mediam, versantem circa eventum futurum cum tali auxilio: Ergo Scientia Media reflectitur vitiosè supra seipsam, quia tendit in auxilium ut dandum ex Decreto præsupponente Scientiam Mediam tendentem in Decretum, & sic in infinitum. Antecedens est certum. Nam si auxilium sit efficax live in efficax, semper Decretum dirigitur à Scientia Media de eventu futuro: actus autem voluntatis Divina qui dirigitur à Scientia Media præsupponit Scientiam Mediam ex intrinseco prædicato & suo modo tendendi: si enim auxilium est efficax, dicit Decretum: dabo hoc auxilium, quia video secuturum consensum: si est inefficax, dicit: dabo hoc auxilium, non obstante quòd non sit secuturus consensus.

306. R. Negando, quòd Scientia Media tendat in auxilium ut procedens ex illo Decreto ex quo daretur, si daretur, & hoc omninò damus argumento. Tendit itaque in entitatem auxilij secundum se, & sine affirmatione existentia affir-

mat eius conjunctionem cum consensu, ut in præcedente objectione declaratum est.

Idipsum alij alijs terminis explicant, & dicunt, quòd modus affirmandi Scientiæ Mediæ, sit vel formaliter vel æquivalenter disjunctivus, quia dicit: Vel non existit auxilium A. vel coexistit illi consensui, & hoc non potest à me impediri: Sive: Non est in mea potestate hoc auxilium sejungere à consensui, & conjungere cum dissensui, tamesi ex se intrinsecè sit cum utroque conjungibile. Ita P. Esparza.

307. Obijciunt 5. Ex Didaco Aluarez. Omne objectum scibile debet habere determinationem vel in suis causis, vel in Decreto Dei, vel in se, atqui futurum conditionatum non habet determinationem in causis, liberis, quæ sunt prorsus indifferentes: neque etiam habent determinationem in seipsis, quia non existunt: ergo debent habere determinationem in Decreto Divino prædeterminante. Ergo hoc Decretum, potius quàm Scientia Media, asserendum est, quia non potest assignari, à quo Deus determinetur ad habendam potius scientiam de consensu sub conditione futuro, quàm scientiam oppositam, de dissensui: causa enim libera est ad utrumque actum intrinsecè indifferens: & præterea neuter actus in se existit: tota etiam essentia divina est indifferens ad utrumque actum non minus quàm causa libera.

308. Hoc argumento quoad substantiam usus etiam est hæreticus Tuiusius, apud P. Franciscum Annatum, ad evincendum Decretum inferens humanæ voluntati necessitatem. Quidquid ab aeterno transit de conditione merè possibili in conditionem futuri, debuit supponere ab aeterno causam hujus transitus. atqui futurum conditionatum, transit à statu possibilitatis in rationem futuri: ergo supponit causam hujus transitus: cum ergo nulla alia possit inveniri præter Decretum divinum, fatendum est, Decretum Dei esse causam futurorum conditionatorum.

309. Ad hoc Argumentum dissolvendum variae responsiones excogitatae sunt, quæ tamen omnes nisi tandem ad vnam, eamque claram reducantur, faciliè vrgentur, quia scopum objectionis non attingunt.

310. Duo ergo quæsitæ continentur in objectione, ad quæ respondendum est, antequam in forma respondeatur. Primum est, vndenam proveniat, quòd Deus debeat habere aliquam Scientiam Mediam, præscindendo adhuc vnde proveniat, quòd habeat potius Scientiam de consensu, quàm de dissensui. Alterum, vnde proveniat, cur potius habeat Scientiam de consensu, quàm de dissensui: non enim hoc provenire potest ab aliqua libera electione Dei, ut omnes fatentur, & per se manifestum est, cum non sit actus voluntatis. Quia verò ad hoc quæsitum faciliè respondetur, hoc inde provenire, quia vna est vera, altera falsa, ideo ulterius hoc quæsitum extenditur, & quæritur, cur potius Scientia de

tia de consensu sit vera quàm de dissensu? neque huic quaesito satisfit dicendo, illam esse ex essentia sua veram, hocipso quia est Scientia divina. Nam contra urgetur. Est quidem essentialiter vera, supposito quòd existat, sed quia potuisset non existere, adeoque non esse divina, ideo ut sic potuisset non esse vera. quaeritur ergo, undenam originaliter proveniat, quòd potius Scientia de consensu sit defacto vera, quàm Scientia de dissensu, adeoque illa prior habeat potius necessitatem existendi, quàm posterior? quod idem est ac quaerere phrasi jam receptà, quodnam sit verificativum illius, & an detur defacto huiusmodi verificativum? & quia adversarij existimant ad hoc quaesitum responderi non posse, formant argumentum suum eo modo quo relatum est.

311. Ad primum quaesitum respondetur, Deum determinari ad habendam Scientiam Mediam ut sic, à sua infinita perfectione, ad quam spectat, nullam veritatem, ne quidem contingentem ignorare, & posse de quocunque eventu providere. Alijs terminis explicat P. Elparza q. 18. a. 13. ex eo, quòd essentia divina contineat eminenter & virtualiter perfectionem propriam & peculiarem liberi cuiusque arbitrij creati, utpote praecogniti in essentia divina, non solum tantum in causà physica adequata, adeoque physice, sed etiam intentionaliter, hoc est, tanquam in specie expressa adequata ipsius arbitrij, & omnium ac singularum operationum illius. Porro hac duplex contentia excludit omnem imperfectionem, quae reperitur in ipso libero arbitrio, seipsum determinante ad operationem; cuiusmodi est alligatio ad determinatum tempus & locum; item augmentum perfectionis per operationem superadditam. Hinc autem est, quòd essentia divina possit se solà quasi electivè praerinducere ab aeterno cognitionem vniuscuiusque electionis creatae, ut futura sub qualibet hypothese absolute possibili, si haec ponatur à parte rei: quae praecognitio est quaedam purè intellectualis praeelectio aeternae electionis effectivae creatae ac temporalis sub eadem cuiusque hypothese.

312. Ad secundum quaesitum respondeo, & dico; defacto nihil existere, (antequam ponatur conditio) cui tribuatur hoc praedicatum determinativi, seu verificativi Scientiae Mediae de consensu sub conditione futuro: cum hoc tamen stat, Deum ab aeterno fuisse ad illam habendam determinatum, & scientiam illam ab aeterno fuisse verificatam. Sicut enim, ad hoc ut propositio, quae dico hic Ingolstadtij: *Petrus existit Romae*: est hic Ingolstadtij vera & verificata, etiamsi hic Ingolstadtij non existat verificativum illius (quia hoc existit Romae:) ita pariter, ut Deus ab aeterno sciverit Petrum sub conditione consensurum potius quàm dissensurum, non est necesse, ut verificativum illius existerit ab aeterno, sed satis est quòd existeret tunc, quando pronuntiatur existurum, nempe quando poneretur conditio. Ra-

tio est, quia Scientia Media non affirmat, verificativum suum existere ab aeterno, sed affirmat existurum tunc, quando poneretur conditio. Sicut ergo ad verificandam cognitionem affirmantem obiectum existere nunc, non requiritur existentia obiecti pro praeterito aut futuro, sed sufficit ut existat nunc, ita ad verificandam scientiam affirmantem obiectum existere de futuro, sub conditione, non est necesse obiectum existere nunc, & pro omni tempore quo existit Scientia, sed satis est existurum esse tunc, quando poneretur conditio.

313. Ad objectionem ergo respondetur in forma, negando Majorem, vel distinguendo: debet habere determinationem eo modo, & pro eo tempore, quo modo, & pro quo tempore affirmatur illam habere, concedo majorem; debet habere determinationem pro alio tempore, & alio modo, pro quo tempore, & quo modo non affirmatur habere, nego majorem; & eodem modo distinguo minorem: Futurum conditionatum non habet determinationem illo modo (hoc est sub conditione) & pro eo tempore (nimirum pro tempore quo existet conditio) quo modo, & pro quo tempore affirmatur eam habere; nego minorem, non habet alio modo &c. concedo minorem, & nego consequentiam.

Omissis alijs levioribus objectionibus, quae apud alios passim legi possunt, placet subungere argumentum, quod aliquando disputandi gratia proposui, & solvi: quod deinde alij dignati sunt vna cum solutione suis Thesisibus inserere.

314. Argumentabar ergo hoc modo. Scientia Media non servit ad eum finem, ad quem obtinendum est excogitata. Non servit inquam ad dirigendum Deum in suis Decretis. Ut enim sic serviret, deberet Scientia Media, videns v. g. Petrum peccaturum si Deus illi daret auxilium A. deberet inquam posse Deum dirigere ad nolum dare auxilium A. quia Petrus dissentiret: ergo posset verificari haec propositio: Si Petrus dissentiret cum auxilio A. Deus illud non daret. Atqui hoc dici non potest: ergo Scientia Media non servit ad finem illum, in quem asseritur. Subsumptum probo. Hac enim ratione possent simul esse verae haec duae propositiones: Si Petrus haberet auxilium A. dissentiret. Si Petrus dissentiret cum auxilio A. Deus illi auxilium A. non daret. Sed est impossibile has duas propositiones esse simul veras: ergo &c. Minorem probo. Haec duae propositiones inferunt conclusionem involventem manifestam contradictionem; hoc modo. Si Petrus haberet auxilium A. dissentiret: si Petrus dissentiret non haberet auxilium A. ergo si haberet auxilium A. non haberet auxilium A. quae est manifesta contradictio.

315. Ulterius arguebam, quòd admissa Scientia Media sequeretur, hominem posse impedire actum primum proximum, requisitum ad ipsum actum secundum liberum, quod vtrique tam est impossibile, quàm impossibile est, actum secundum posse

dum posse esse sine actu primo proximo, quem essentialiter præsupponit. Sequela autem probatur. Nam auxilium pertinet ad actum primum proximum tam ipsius consensus, quam dissensus: atqui auxilium esset impedibile per dissensum, quia scilicet, si Deus videret dissensum sub conditione ponendum, non daret hoc auxilium: ergo actus primus proximus esset impedibilis per actum secundum.

Ad hoc Argumentum difficulter commodè respondetur illis, qui docent, Deum per Scientiam Mediam videre antecedenter ad omne Decretum absolutum, sua Decreta sub conditione futura, quale esset hoc: *Si Petrus dissentiret, non daretur illi auxilium A.* Verum quia mox contrarium docturus sum, & dicam, huiusmodi Decreta conditionate futura, non videri à Deo nisi in ipso Decreto absoluto, ut explicabitur, ideo utriusque argumenti facti solutio est expedita.

316. Ad primum ergo respondeo, quod licet singulæ illæ propositiones, maior scilicet, & minor, possint scõrum esse veræ, simul tamen veræ esse non possint in sensu conditionali, sed, si ponatur maior esse vera, hoc ipso minor erit falsa, vel e contra, si minor erit vera, maior erit falsa, & ideo nulla inde potest inferri consequentia. Declaro. Si enim vera est hæc: *Si Petrus haberet auxilium A. dissentiret*, hoc ipso repugnat hoc auxilium dari à Deo propter consensum futurum, in quo tamen decreto deberet Deus videre veritatem minoris propositionis conditionalis; *Si Petrus dissentiret, non daretur hoc auxilium*: verificativum enim huius propositionis non potest esse aliud (in mea sententia mox tradenda) quam Decretum Dei, quo vult hoc auxilium dare, quia videt habiturum consensum: ergo si minor est vera, falsa est maior, scilicet: *Si Petrus haberet auxilium A. dissentiret*: ergo etiam e contra si maior est vera, falsa debet esse minor. Brevius. Hæc veritas: *Si Petrus dissentiret, non daretur illi auxilium A.* non potest videri nisi in Decreto dandi auxilium A. atqui non potest videri in decreto dandi hoc auxilium, si auxilium est inefficax (hoc modo enim daret & non daret) ergo solum potest videri in decreto dandi auxilium quia est efficax: sed si auxilium est efficax jam est falsa maior propositio: ergo ex veritate minoris falsificatur maior: ergo non potest simul stare utriusque veritas. Itaque illa prima propositio: *Si Petrus haberet auxilium A. dissentiret*; potest quidem causare hoc decretum: *Quia Petrus dissentiret, nolo illi dare hoc auxilium*. sed non potest causare hanc conditionalem: *Si Petrus dissentiret, non daretur illi hoc auxilium*. huius enim veritas supponit auxilium esse efficax.

317. Ad alterum argumentum respondeo, negando sequelam. In casu enim, quo Deus negaret hoc auxilium, quia videt Petrum dissensurum, si daretur, reverà actus primus proximus non impediretur à veritate conditionata, sed impediretur à Deo, quatenus liberè nollit dare hoc

auxilium, cum posset velle dare. Sed de his satis.

§. IX.

An detur in DEO Scientia Media suorum decretorum.

318. Quæritur denique, an in DEO detur Scientia virtualiter distincta ab omni decreto absoluto, quæ DEVS videat, quid ipse liberè facturus esset, si hæc vel illa circumstantia seu conditio poneretur: v.g. an DEVS voluisset incarnari, si Adamus non peccasset: An, si Christus noluisse mori pro genere humano, per aliud remedium liberasset genus humanum: an si Noë noluisse ingredi arcam, delevisset diluvio totum genus humanum, &c. Affirmant plures quos sequuntur Derkennius & Aldrete.

319. DICO. 1. Repugnare huiusmodi Scientiam Mediam. Probo. Huiusmodi Scientia Media præjudicaret libertati divinæ; esset & non esset impedibilis à DEO: ergo repugnat. Antecedens probo. Omnis Scientia DEI existens independenter ab omni decreto, præcedit decretum existens ut directiva seu consultativa ad decretum DEI, & essentialiter ac virtualiter præsupponitur à decreto subsequente: sed hac ratione jam præjudicaret illa Scientia Media libertati ipsius decreti, & esset ac non esset impedibilis à DEO: Ergo, &c. Majorem negant adversarij, & volunt, illam Scientiam habere se concomitanter ad ipsum decretum. Sed hoc non rectè dicitur. 1. Quia hac ratione non est necesse Scientiam conditionatorum distinguere virtualiter intrinsecè à decreto ipso existente, quæ erit nostra sententia: 2. Quia omnes nostri DD. fatentur, quod nisi Scientia media de nostris actibus liberis esset necessaria ad Providentiam DEI universalem, & directiva decretorum, non esset vlla necessitas eam asserendi: & fortassis à nemine assereretur ob suam difficultatem. Ergo non est ponenda in DEO Scientia Media, independens à decreto, & non directiva decreti.

320. DICO. 2. DEVS illas veritates conditionatas videt in decreto absoluto existente, habente intrinsecam connexionem cum decreto sub alia conditione futuro; sive: decretum præsens ex suo intrinseco modo tendendi in res defacto volitas, est verificativum omnium decretorum, quæ sub conditione varia essent exstitura, defacto autem non existent ex defectu conditionis. Ita RR. Explicatur. Defacto DEVS decrevit Incarnationem tali affectu, quo ferebatur in merita & Passionem Christi, generisque humani Redemptionem, ut in eo reluceat hæc Veritas. *Si Adam non peccasset, non incarnaretur.* Sicut, quando æger ex affectu sanitatis sumit amaram medicinam, in ipso modo eligendi medicinam deprehendit hanc veritatem. *Si medicina hæc non esset conductiva ad sanitatem, non sumerem illam.*

321. Hinc deducitur, quod præsens decretum non videatur à Deo sub aliqua conditione futurum, videretur tamen sub conditione futurum in alio decreto, si Deus aliud decretum habuisset. v. g. si Deus noluisse producere Petrum, tunc ex affectu quo ferretur in negationem Petri, relucere, quod si Deus vellent producere Petrum, daret illi talia vel talia auxilia.

Argumenta adversariorum referre non est opus. Plus enim non probant, quam quod Deus veritates illas conditionatas debeat cognoscere; quod vltro fateamur. sed negamus videri per scientiam virtualiter distinctam à præfenti decreto.

**

CAPVT IV.

DE VOLVNTATE DEI.

CONTROVERSIA I.

In quonam consistat actus liber voluntatis divinæ.

§. PRIMVS.

Difficultas questionis exponitur.

322. **D** Ari in DEO Liberum Volvntatis exercitium, fidei dogma est, cuius probationes attuli in Institutionibus. In quonam autem realiter & à parte rei consistat hoc exercitium; & à quonam Deus formaliter constituatur volens mundum, cum potuisset nolle, est ex gravissimis, si non omnium gravissima difficultas totius Theologiæ, quæ sic proponitur.

323. Vel volitio creandi mundum est adequatè intrinseca Deo, vel non est. Si est, ergo aliquid intrinsecum Deo potuisset non esse: ergo est aliquid in Deo contingens: ergo illud non est Deus, sed creatura. ergo Deus perficitur intrinsecè à creatura, quod est impium dicere. Si non est adequatè intrinseca volitio, sequitur actum liberum Dei quæ liber est, non esse vitalem; imò non existere ab æterno; vel debet identificari cum aliquo negativo: quæ omnia videntur esse contra conceptum actus divini, vitalis & liberi. Eadem penitus est difficultas in Scientia libera Dei, tam Visionis, quàm Scientiæ Mediæ.

§. II.

Sententia Cajetani refellitur.

Omnia varijs modis expediendi præsentem difficultatem, quos aliqui tentarunt, sed verbis magis involuerunt, celebriores referam.

324. Prima sit Cajetani, 1. p. q. 19. a. 2. & 3. & 3. p. q. 1. a. 1. afferentis, quod Deum velle alia, est perfectio voluntaria, & omnino libera, & extensiva, & non simpliciter & intensiva, quæ potuit deesse DEO, quia quod perfectio sit voluntaria, & omnino libera, est conditio diminuens rationem perfectionis, respectu eius in quo est, quoniam significat suum oppositum non

esse imperfectionem. Quæ Cajetani verba plures (alii tamen aliter interpretantibus) ita accipiunt, quasi docuisset, Volitionem liberam Dei esse Deo superadditam realiter, saltem modaliter, quæ quidem potuisset ab æterno non esse, posito tamen quod existat, non potuit incipere in tempore, sed debuit essentialiter esse ab æterno. Quæcunque tamen fuerit mens Cajetani

325. Dicendum est, cum cæteris Theologis, actus liberos Dei non esse modum realiter superadditum Essentiæ divinæ. Probatur 1. ex verbis S. Bernardi annotatis in Concilio Rhemenfi. Credimus & confitemur, nullas omnino res, sive Relationes, sive Proprietates, sive singularitates, & alia huiusmodi, adesse DEO, quæ sint ab æterno, & non sint DEVS. quæ verba putat Arriaga de solis attributis necessarijs ex mente S. Bernardi prolata esse, additque alia, quæ quàm frivola sunt, ostendit P. Aldrete. disp. 9. s. 1. a. n. 7.

326. Probatur. 2. Illa entitas modalis, cum esset realiter distincta, esset creatura: ergo vel substantia vel accidens: non primum: esset enim extra conceptum primæ & completæ radicis, & entis per se stantis; sicut nostri actus liberi. Præterea, vel esset substantia completa, vel incompleta: Non primum; alioquin subsisteret per se, nec vniiretur Deo: non enim possunt duæ substantiæ completæ inter se vniiri ad faciendum vnum per se; neque etiam substantia completa potest esse modalis perfectio alterius substantiæ. Denique non tam Deus inde denominaretur volens, quàm potius illa ipsa substantia creata esset volens ut quod. Esset ergo substantia incompleta: & quæro ulterius, an sit incompleta præcisè in ratione subsistendi, vel in ratione subiecti, vel in ratione formæ. Non primum dici potest; hac enim